



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

Magno superbiat Marone Mantua ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

**M**Agno superbiat Marone Mantua,  
**N**asone Sulmo, Horatio Venusia:  
**V**erona nec minus Catullum jactitet,  
**V**mber Propertium, atque Aquinas Iunium :  
**S**uamque Martialis acer Bilibilin  
**C**elebret, Annaque syrma Cordubam.  
**T**urrita Sena vicit omnes unica ;  
**M**iraculi quæ sic parens, ingentia  
**T**ot sidera in sidus coegit unicum.

**E**t sidera hac nugis tamen turgent meris.  
**S**enense sidus at merum fundit jubav  
**V**irtutis omnis atque sanctimonie.  
**Q**uanto illud ergo majus istis omnibus !  
**E**t sidera hæc summo tamen conamine  
**R**eplere passim nominis fumo sùi  
**M**undum, dare & valde in stuporem, queritantes ,  
**A**c fabulosos inde vendunt Orpheos.  
**S**enense nullo sidus at negotio  
**F**ulgoris ut prædivitem explicat penum,  
**E**ncomium nec ambiens, omne invenit,  
**M**ultos creatque Abramidas è rupibus !  
**Q**uantum illud ergo præstat istis omnibus !

**E**t sidera hæc agunt id unicum quoque,  
**P**er otium, florentibus rebus suis.  
**L**eporis atque exuberante flumine.  
**S**enense sidus at labores arduos  
**E**xantlat o quam, publica bono rei,  
**N**ec unius gestat simul morbi crucem,  
**N**ec inde definit tamen sic jugiter  
**E**t Numinis cantare dona, & interim  
**S**cienter & concinne & apte ludere,  
**I**gnobilem & mortaliū ac rudem gregem  
**S**anctissimis incendiis involvere,  
**E**t exules, periclitantes plurimum,  
**I**n patriam suaviter conducere !  
**N**on præstet ergo sidus isthuc ceteris ?

**M**agis faceſſant hinc minora phasmata ,  
**C**hiorum Homerus, & Sophocles Atticus,  
**A**ſcreaus &, Thebanus atque Pindarus.  
**S**enense multo sidus hisce grandius :  
**S**enense multo sidus hisce illustrius :

Senense

Senense multo sidus hisce augustius.  
 Vin hisce digniora longe sidera?  
 En, cantico quam pre Sibyllis nobiles,  
 Virago Debora, illa litium arbitra,  
 Et Samuelis Anna mater inclyta!  
 Quantus poëta legifer Moses vetus!  
 Quam fulget heros optimus Iesseides,  
 Nec non pereruditus ejus filius!  
 Regina quam sublimis at vatum omnium,  
 Desponsa Regi maximo regum omnium,  
 Integra virgo, mater & Christi tamen!  
 Senense sidus inter isthac sidera,  
 Cum Barberino, jure supremo, micat.  
 Sed Rurtius, sed elegans Ingelius,  
 Sed sceptra Barlaus tenens in vatibus  
 Vnus Batavis, entheus, multisssimus,  
 Senense demum sidus istud cantitent,  
 Plaudentibus Phœbo & novem sororibus.  
 His Nicii, his Baldi, atque Sarbievii,  
 His Heli, his & Masculi, & Sibenii,  
 Ogeriique, Francia magnum decus,  
 Cultissimique ad Scaldin Hemelarii,  
 Erycii quin & Lovaniensem,  
 Et dulciores melle Blittersuicii,  
 Meisque Amandus, Flandrici lumen soli,  
 Mireque Graius emensis Allatius,  
 Ac ceteri, qui sunt ubique gentium,  
 Musarum alumni, insignium lectissimi,  
 Alacriter juncta manu, ferant opem:  
 Chelys lyraque exaudiantur; insuper  
 Tubisque tympanisque cuncta personent;  
 Responsit et que totus orbis undique,  
 Reddentibus sylvis modos ac montibus.  
 Corvina gens ne misceat se oloribus.  
 Meum est, stupentem sideri immorarier.  
 A me optimum est praconium, silentium.

BARTOLDVS NIHUSIVS.  
 Id. Sextil. CIC XCIV.

CORRI-